



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 37. Ecclesia Saxoniae afflicta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. episcopatum Hamburgensem contulit
A.C. 1013 *Unvan* Capellano suo, & a Delegatis re-

pugnantibus, ut tandem utcunque con-
 sentirent, obtinuit. Tum, arrepta Otto-
 nis manu, aliam gratiam se ei concessu-
 rum promisit. Ergo *Unvan* Baculum pa-
 storalem tradit, eumque se præsentem a
 Gerone Archiepiscopo Magdeburgensi,
 duobus Episcopis assistentibus, ordinari ju-
 bet. *Unvan* deinde Pallium a Benedi-

Chron. Sax.
 1013.

Adam. l. II.
 c. 33.

cto VIII. accepit, & Ecclesiæ Hambur-
 gensi atque Bremensi annis sexdecim præ-
 fuit, vir nobilissimo genere ortus, dives,
 & munificus præsertim in Clericos suos,
 summis infimisque carissimus.

§. XXXVII.

Ecclesia Saxonica afflictæ.

ibid. c. 30.

Ultimis quibus Libentius Archiepisco-
 pus sedit annis Sclavi Saxoniam infe-
 riori extremam calamitatem attulerunt.
 Nam Ottone III. Imperatore fati functo
 hi populi favente occasione usi, cum Sa-
 xones de Regni Successione rixarentur,
 excusso jugo arma corripuerunt, se se in
 libertatem asserturi. Præterea Sclavo-
 rum animi sponte aversi Christianorum
 præfectorum crudelitate pejus accensi
 sunt. Præfuerat illi regioni Benno Dux

Helmod. lib.
 I. c. 16.

Saxoniam, vir virtutum splendore clarissi-
 mus, Ecclesiarum defensor; quo mortuo,
 succedens filius Bernardus pacem Saxo-
 niæ,

niæ, commota in Regem Henricum sedi- Sæculum XI.
 tione, turbavit, omnium Ecclesiarum, A.C. 1013.
 maxime illarum, quarum Rectores ipsius
 defectionem horrebant, hostis infensissi-
 mus. Nec memor prudentiæ & clemen-
 tiæ, qua pater ejus avusque Sclavis pe-
 percerant, & auri cupiditate abstractus
 miseros oppressit, unde gens illa jam nul-
 lam nisi in desperatione salutem quære-
 bat; cum novum etiam accederet ma-
 lum a Marchione Theodorico, qui Scla-
 vos in Saxonia Orientali crudelissimi ha-
 bebat.

Ergo hi populi barbara feritate nec-
 dum penitus deposita, cum nec Religio
 Christiana apud eos firmas radices egis-
 set, simul fidem Christo & Saxonibus
 Dominis suis juratam abjecerunt. Re-
 gionem totam, qua Albis, nobilis amnis,
 Septentrionem spectat, igni ferroque de-
 vastarunt. Cunctas Ecclesias incende-
 runt, & fundamenta ipsa subruerunt, di-
 verso mortis genere Presbyteros cete-
 rosque Altaris Ministros interemerunt,
 cunctis ultra Albim Christianæ fidei ve-
 stigiis extinctis. Ex civitate Hambur-
 gensi multos captivos tum Clericos, tum
 cives laicos abstraxerunt, multo pluribus
 in odium fidei trucidatis. Aldinburgi,
 qua civitate nulla alia majore Christiano-
 rum incolarum numero gaudebat, reli-
 quis omnibus ferarum instar ad interne-

Sæculum XI.
A.C. 1014. cionem deletis, sexaginta Presbyteros, quibus, priusquam necarentur, furiose illuderent, servarunt. Quippe miseros dissecta in formam crucis suprema verticis pelle, atque etiam cranio, ita ut cerebrum perspiceretur, perforato, per omnes Sclavorum urbes, ligatis a tergo manibus circumduxerunt, cæciderunt, & donec quisque eorum occumberet, torserunt. Acta horum Martyrum, si conscripta fuissent, grande volumen impleissent. Ita omnes Sclavi inter Albim & Eidoram positi Christianæ Religioni, postquam eam annis septuaginta, scilicet Ottonibus imperantibus, tenuissent, renunciarunt.

§. XXXVIII.

S. Henricus Imperator coronatur.

Chron. Sax.
Ditm. lib. 7.
init. Inter hæc Rex Henricus, itinere in Italiam suscepto, Papiæ Festum Nativitatis Domini anno millesimo decimo tertio celebravit. Benedictus Papa VIII. prior Romam redierat, cumque & Rex advenisset, Imperator coronatur vigesima secunda Februarii anno millesimo decimo quarto, in festo, quo S. Petri Cathedra colitur. Ritus autem hic servatus. Henricum Regem & Cunegundem Reginam vallabant duodecim Senatores, quorum sex barba rasa Romanorum, & sex prolixa, in superiore labro decore horri

Muratori
Anecd. to. 2.
p. 204.